



DE COMETA

ANNI

MDC LII.

COMMENTATIO.

Prooemium.

PArum temporis elapsum erat, ubi Lipsiæ primùm inaudiveram, coram Illustrissimis ac Celsissimis Saxoniae Principibus &c. Jenensis Academiae Nutritiis munificentissimis, Dominis meis Clementissimis, ab Amplissimo Universitatis Senatu me ad publicam Matheseos Professionem, piâ morte Viri Clarissimi & Excellentissimi Dn. HEINRICI HOFFMANNI tùm vacantem, esse denominatum: & ecce novum in Cœlo phænomenon, Cometa subobscurus, sese nobis, imò toti mundo, spectandum exhibebat. Hujus spectaculi novitate non minùs quàm singulari specie, commotus eâ quâ fieri potuit diligentia in id incubui, ut & locum quo se sistebat, & motum quo progrediebatur accuratè indagarem, præsertim cum hoc quicquid est exercitii ad me pertinere putarem, partim quod Astronomiam tùm privatim docerem: partim quod ad publicas hujus generis functiones alibi me quàm honorificentissimè denominatum esse intelligerem. Sed uti singulari quadam animi voluptate phænomenon hoc in cœlo contemplatus sum, ita vehementer dolui, quod instrumentis destitutus essem, quibus velut retibus & plagis
B
ejus.